

*Classicus,  
De CCC. urbibus in  
Africa a Phœni-  
cis conditis.*

*Nd 81.*




OBSERVATIO CRITICO ANTIQVARIA  
DE  
CCC. VRBIBVS IN AFRICA  
A PHOENICIIS CONDITIS,  
ET  
AB INCOLIS EXCISIS,  
QVA  
AD ORATIONEM PRAEPARATORIAM  
DE  
CHRISTI IN COELVM  
ASCENSVM,

A  
NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO  
HENRICO MEIENBURGIO

BREM. S. S. THEOL. STUDIOSO,  
PROXIMI SATVRNI, QVI ERIT XXXI MAJI, A. MDCCLXVI  
HORA IX MATVTINA  
IN AVDITORIO THEOLOG. HABENDAM

EA, QVA PAR EST,  
OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITAT  
IOHANNES PHILIPP. CASSELIVS,  
PVBL. ELOQ. ET LITTER. HVMAN. PROF.



B R E M A E,  
TYPIS VID. H. C. JANI ET DIDER. MEIER, JLL. GYMN. TYPOGR.

OBSERVATIO CRITICO ANTIQVARIANA  
DE  
CCC. VARIIS IN AFRICA  
A PHOENICIIS CONDITIS  
AB INCOLIS EXCISIS  
AD ORATIONEM PRÆPARATISSIMAM  
CHRISTIANI COLLEII  
ASCENSU

MORILLISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO  
HENRICO MEIENBURGIO





OBSERVATIO CRITICO ANTIQVARIA,  
DE  
CCC. VRBIBVS IN AFRICA  
A PHOENICIIS CONDITIS ET AB  
INCOLIS EXCISIS.

ARGVMENTVM.

- §. 1. Phoeniciorum mos, ubicunque navigarent, *urbes & colonias* condendi, *Dodwellus* refutatur. *Lexiv de decretis publicis* sumitur. *Condere urbem* varium habet sensum. §. 2. Num exstructæ a *Carthaginiensibus* CCC. *urbes* fabulis accensendæ? Negatur & exemplis contrarium probatur. §. 3. Ratio, cur veteres scriptores hoc in dubium vocarint, est, quod *Pharusii & Nigretes* ea oppida funditus delerint, sicque ne vola nec vestigium remanserit. Odium internecinum incolarum hujus regionis erga *Carthaginienses*, *Dodwellus* iterum refutatur. *Poenorum fraudes, & mendacia* unde orta? §. 4. Scopus observat.



## §. I.

Antiquissimus *Phoenicum & Carthagensium* erat mos, ubicunque navigarent, condendi *urbes & colonias*. ISIDORVS id observat L. XV. *Origg. c. I. Mos erat*, inquit, *antiquus gentis PHOENICVM, cum MVLTIS simul mercandi causa a domo proficisci, & cum incolarum animos commercio rerum iis antea incognitarum sibi conciliaffent, LOCA, quæ CONDENDIS VRBIBVS idonea videbantur, capere*. Sic & *multas urbes ab Hannone conditas esse*, relatum ex eo a Græcis & Romanis observat PLINIUS L. V. I. Phrasis autem *κτιζειν πλιν* est valde familiaris scriptoribus, uti *Carthago* dicitur *κτισμα Διδος* apud STRABONEM, L. XVII. *BERYTVS κτισμα κρονε* a STEPHANO BYZANTINO. Item STRABO L. I, p. 83 de Phoeniciorum expeditionibus affirmat, *Θρυδειται καὶ ἡ ΦΟΙΝΙΚΩΝ ναυτιλια, οἱ γὰρ τὰ ἔξω τῶν Ἡρακλειῶν σηλῶν ἐπηλθον, καὶ ΠΟΛΕΙΣ ΕΚΤΙΣΑΝ κακει, καὶ περὶ τὰ μέσα τῆς Λιβυῆς παραλιας μικρον τῶν τροικῶν ὑστερον*. *Vulgata est Phoenicum navigatio, qui etiam extra columnas Herculis progressi sunt, ibique, & in media Africa ora maritima VRBES CONDIDERVNT, paulo post Trojani belli tempora*. Is. VOSSIVS hanc expeditionem Phoenicum esse *Hannonis* ipsius, nec aliam ante ipsum affirmat, in *eruditis ad Pomp. Melam Commentt. L. III. 9. p. 303. & de magnitudine Carthaginis, in Libro Variarum Observatt. cap. XI. p. 53. Celeb. DODWELTVS* id contra VOSSIVM negat, in *Diss. de ætate Periplusi Hannonis*, §. 13. *Initium Navigationis sive Periplusi ipsius HANNONIS Phoeniciorum navigationes longinquas confirmat, & simul as-*  
fertum

fertum *Strabonis* vindicat. Sic enim infit: 'Εδοξεν α) Καρχηδονιοις  
 Λωννα πλειν ἐξω σηλων Ηρακλειων, καὶ πλεις κτιζειν Λιβυφοινικων. *De-*  
*cretum est a Carthaginensibus, ut HANNO navigaret extra co-*  
*lumnas Herculis, & VRBES LIBYPHOENICVM CONDERET.*  
 Quod & fere factum ipsemet HANNO *in periplo suo* testatur:  
 Επισαμεν πρωτην πλιν, ἥτινα ἄνομασαμεν Θυμιατηριον. *Condidimus*  
*primam urbem, quam nominavimus Thymiaterium.* Hanc & alias  
 ab Hannone & insequentibus temporibus a Carthaginensibus in  
 Africae ora exstructas urbes dudum deletas esse refert STRABO  
 p. 1185. *edit. Almelov.* cum Artemidorus Eratosthenem reprehendisset,  
 quod pro *Linge Lixum* urbem circa extrema Mauritaniae  
 occidentalia dixisset, addit Φοινικιας δε πλεις κατεσκευασμενας περιπυ-  
 λας τινας, ἂν ἕδεν ἐστιν ἰδειν ἰχθυος. *Phoenicias urbes permultas ibi ere-*  
*ctas, quarum vestigium nullum appareat.* Et de trecentis urbibus  
 ibidem a Phoeniciis conditis idem affirmat STRABO p. 1182. Το  
 ἐν τοις ἐξῆς κολπις κατοικιας λεγεσθαι παλαιαις τυριων, ἃς ἐρημους εἶναι, νυν ἐκ  
 ἐλαττωναν ἢ τριακοσιων πολεων, ἃς οἱ Φαρησιοι καὶ οἱ Νιγρηται ἐξεπερθησαν:  
*In sequentibus finibus tradunt, antiquas Tyrriorum habitations,*

## A 3

quae

- a) Verbum δοκειω de decretis publicis seu principis, seu magistratum saepius venire apud Scriptores Græcos ostendit *Cel. HASAEVS in Bibl. Brem. T. I. Fasc. III. §. 4.* Ita & hic de decreto Suffetum Carthaginensium interpretandum reor, unde *PLINIUS L. V. I.* quod Hanno a suis explorare ambitum Africae iussus sit, & *MELA L. III. 9.* quod missus ea propter a suis, affirmant. Conf. *Inscriptionis LXXXII* initium apud *SPONIVM Miscell. erud. Antiq. p. 349.* Sed & de unius hominis sententia, decreto, consilio passim occurrit. *AGATHEMER L. I. c. VI. p. 201. edit. Gronov.* ἐδοξε δε μοι καὶ ταυτο δια σχηματος ὑποδειξαι σοι. *DECRETVM (consilium) mihi est, tibi id quoque approposita figura demonstrare.* Et p. 197. ἀμφοτεροα δε μοι δοκει καλον, κ. τ. λ. *CONSILIVM mihi est utrumque &c. Marmor antiquum Δεδοχθαι τω Δημω ἱπαινεσαι Μενδικων &c. Placere populo honorare Mendicæum &c.* *Jll. G. CUPERI Apotheosis Homeri p. 286.*

*quæ nunc deserta sunt, urbes non pauciores TRECENTIS, quas PHARVSII ac NIGRETES EXCIDERVNT.* Quamvis autem verisimile videatur, *Hannonem* cum comitibus suis has in Libya urbes primum condidisse, quod DODWELLVS negat, *Diss. de ætate Per. Hann.* §. 9 & 13 id tamen minime ex hac locutione *των condendi* tantum exsculperim. Urbes enim frequentissime dicuntur *κτισθησαι*, & *condi*, cum *novis* coloniis veteribus additis augentur, aut ab interitu vindicantur, & quasi de novo restituntur. Locus ubi Alexander Magnus in Aegypto condidit *Alexandriam*, jam antea vicus erat *Rhacotes* dictus, ut STRABO L. XVII. memorat. Attamen cum ab eo coloniis Macedonum augetur, & instauraretur, urbem dicitur *condidisse Alexander* apud PLINIVM L. V. c. X. Ita *Camillus*, Gallis cæsis *appellatus est secundus Romulus*, quasi & ipse patriæ CONDITOR, apud EVTROPIVM L. I. *fine.* Et Augustus dicitur *Romam* condidisse, teste SVETON. *in Aug.* item *Byzantium* dicitur conditum a Pausania Spartanorum Rege, IUSTIN. L. IX. c. I. hoc est urbs illa *novis* coloniis aucta, nam longe ante jam a *Megarensibus* fuit condita, testante EVSTATHIO *ad Dionys. Perieg.* v. 804. Ne dicam *Constantinum M.* hanc condidisse urbem, æque memorari. Sic apud MELAM L. I. c. 18 *condere & coloniam deducere*, ubi vide VOSSIVM. Ex omnibus his itaque concludo, incertum esse, utrum *Hanno* has urbes primus condiderit, an tantum *novas* iis colonias immiserit. Hoc certissimum, & veritati consentaneum, in Africa ad Oceanum Atlanticum *Poenos* habuisse *Colonias*. Vidimus hoc ex loco *Strabonis*, qui hoc factum refert *μικρον των τρωικων υστερον paulo post Iliaca tempora.* Quibus omnibus addimus adhuc unum ex SCYLACE testimonium, *Απο Ηρακλειων σηλων των εν τη Ευρωπη εμπροια πολλα Καρχηδονιων.*



*Senon.* Ultra Herculis columnas, quæ sunt in Europa, multæ sunt Carthaginensium emporia. p. 2. edit. Gron. Similiter RUFVS FESTVS

Ultra has columnas propter Europæ latus

Vicos & urbes incolæ Carthaginiis

Tenuere quondam.

Vid. VOSSIVS in nott. ad Scyl. l. c.

§. 2.

Illud quam maxime notandum, veteres Hannonis hanc expeditionem, conditasque urbes fabulis annumerasse. Sic ARISTIDES Orat. I. Sicula, ea quæ Carthaginenses & Hanno retulerunt, de conditis in Africa urbibus ἀτοπα absurda dicit, ἢς ἔτ' ἀγνωστοί δι ποθεν, ἢτε γινοντας ἕκαστος ἢν ἀπακρυψασθαι. PLINIUS acerbius L. V. I. Fuere & Hannonis Carthaginensium ducis commentarii, Punicis rebus florentissimis explorare ambitum Africæ iussi; quem secuti plerique e Græcis nostrisque & alia quædam FABVLOSA & VRBES MVLTAS ab eo conditas ibi prodidere, quarum NEC MEMORIA VLLA, NEC VESTIGIVM EXSTAT. ERATOSTHENES hæc retulerat dubio procul ex Hannone & Phoenicum commentariis, unde ab incredulo STRABONE ea propter notatur, quod fabulosa de locis Libyæ extra Herculis columnas retulerit, L. I. p. 82. Πεπιστευκε δε καὶ περι των ἐξω της Ηρακλειων πηλων μυθωδεις Κερεινην τε νησον, καὶ ἄλλες τοπες ονομαζων, τες μηδαμυ νυνι δεικνυμενες. MVLTATA quoque FABVLOSA de iis, quæ sint extra columnas Herculis credidit, Cernen insulam nominans, aliaque loca, quæ hodie nullibi extant. ARTEMIDORVS quoque Eratosthenem ea propter perperam reprehendit, STRABONE Auctore L. XVII. p. 1185. Διοτι λιξον τινα Φησι πολιν περι τα ἀκρα της Μαυροσιας τα ἐσπερια αντι Λιγγος ΦΟΙΝΙΚΙΚΑΣ δε ΠΟΛΕΙΣ κατεσκευασμενας παμπηλας τινας, ὡν εἶδεν

ἐστιν

ἔστιν ἰδεῖν ἰχθῆος. Nec felicior est STRABO, qui l. c. p. 1182. cum *Herculis aram*, tum *trecentas Phoenicum urbes* ad littora hæc *Libyæ* conditas, ἐν πλασματων νομιζειν, pro re ficta habet & fabulosa. Summus BOCHARTVS iudicium *Artemidori & Strabonis* secutus, & has urbes in fabulofarum numerum recenfer, L. I. *Can. Cap. XXXVII.* p. 643. *Fabulis etiam accenseo, quod legitur Strabonis L. XVII. Tyrios infra Lingem itinere dierum triginta, urbes ad Oceanum trecentas extruxisse, quas Nigretes & Pbarusii postmodum exciderint, Eratosthenis commentam hoc fuit, quod merito rejicit Artemidorus, quia illarum urbium nec memoria ulla nec vestigium exstat.* Sed quam immerito, me iudice, hoc fiat, inde patebit. *Hannonis enim Periplus* verissime hæc loca a *Phoeniciis* condita esse docet, cuius fidei frustra hæc veterum testimonia objiciunt. Notavi quidem DODWELLVM §. 13 objicere, plures ab *Eratosthene* memorari urbes, quam ab *Hannone*, nimirum *trecentas*. Verum quis affirmaverit, *Hannonem* solum omnes has condidisse urbes? Illud *Carthaginensibus* adscribimus, qui sæpius eo classes post *Hannonis* misere tempora, & redundante in urbe multitudine, *colonias*. Ad *Eratosthenis* fidem liberandam, eamque tuendam observasse ex *Hannone*, *Scylace* aliisque sufficit, *Phoenicios Africanos* heic locorum varias urbes extruxisse. Imprimis vero, quod de hac *Hannonis* expeditione scribit DIO CHRYSOSTHOMVS, eum fecisse *Carthaginenses*, καὶ χερματα πηλα κενταοθαι, καὶ συχνα ἐμπορια, καὶ λιμενας, καὶ τρηχεις, καὶ ΠΟΛΛΗΖ ΜΕΝ ΓΗΣ, πολλης δε θαλαττης αρχειν. Confirmant enim urbes conditas in *Lybia* esse, saltem quasdam, & reapse extitisse SCYLAX, PTOLEMAEVS, ERATOSTHENES aliique antiquissimi Scriptores, qui eorundem locorum meminerunt. Neque in hac re simplici negandi ausu

ausu contentos nos esse decet, & omnia primis temporibus a Phoeniciis gesta in dubium vocare, ut omnia de iis memorata *ἀπαξ* vel *σπανίως λεγόμενα* sublestæ fidei esse affirmemus, & fabulosa credamus, multo minus idcirco *Hannonis Periplum* falsi arguamus cum DODWELLO *diss. cit. §. 9.* Qui enim aliter fieri potuit, quam cum *Romani* rarissime adirent Oceanum, ut TACITVS de sua ætate, *cap. II. de Moribus German.* testatur; ut hæc veterum scripta & antiquissimorum hominum de *conditis Poenorum urbibus, fabulis* accenserent. Sic enim plerumque de rebus incognitis & incomptis iudicamus. Ita & *fabulosissime ab antiquis narratam Lixon* refert PLINIUS L. V. I. An ea propter, quia hoc *Plinius* dicit, nulla fuit urbs *Lixus* & fluvius, *Artemidoro, Eratostheni, Stephano, Ptolemæo* aliisque præter *Hannonem* memorata? Quis ferat in aliis ita argumentantem, quæ ipse *Plinius* de *Seribus, Indis, aliisque remotioribus populis* scripsit, aliquando recentiori tempore in dubium vocata sunt? Ergo eadem falsa sunt & ab eo ficta? *ARRIANVS in Indicis, NEARCHVS in Paraplo,* aliique plura retulerunt, quibus multi fidem adhibere noluerunt, ergo illos dubiæ fidei esse iudicabimus? *M. PAVLVS VENETVS* de *Tataris, de Magno Indiæ Mogore, de Sinensibus,* plurima retulit, quæ suæ ætatis homines, ut fabulosa traducebant. Ergo & hæc omnia falsi postulabimus? Quasi non recentiori experientia compertum fuisset, illa, quæ hi de exteris & remotis gentibus & regionibus retulere scriptores, ut plurimum indubitatae esse veritatis. Ea etiam, quæ inter *Ἰαπωνία ἀνοσιώτα* retulit *ARISTOTELES* vix fidem nacta olim, sed nihilosecius, in hac literarum luce, de maxima earum parte nemo vel dubitare aufit? *Plinii* itaque & *Artemidori* & *Aristidis* auctoritatibus opponimus testimo-

B

nia



nia *Aristotelis*, *Dionis Chrysoſthomi*, *Marciani Heracleotæ*, *Arriani*, *Nearchi*, *Eratosthenis*, *P. Melæ*, *Marciani Capellæ*, *Solini*, quibus *Hannonis* ſcriptum ſinceræ veritatis viſum fuit documentum.

Quod autem harum urbium a *Phœniciis* in *Libya conditarum*, *PLINII* tempore nulla fuerit ſuper *memoria* vel *veſtigium*, & *STRABONIS* quoque, *αὐτῶν ἢ ἕθεν ἴχνησιν*, unde fabulis accenſer, quæ alia cauſa eſt, quam quod *Phauruſii* & *Nigretes* has urbes & *Phœnicum* colonias *ἔξεποθήσαν*, exciderint, *STRABONE* memorante p. 1182. Hoc ſi vere factum eſt, quod nulli dubitamus, qui potuit quæſo *Strabonis* tempore & *Plinii* harum urbium vel *memoria* vel *veſtigium* ſeu *ἴχνησιν* ſupereſſe? Objicit quidem *DODWELLVS* *Strabonem* hæc de trecentis *Phœnicum* urbibus, earumque *excifione* annueraſſe *πλασμασι*, *fictis fabulis*. At quare hoc fecerit, cauſam jam vidimus, quod *ἴχνησιν* earum ſuo tempore non ſupereſſet. Sed qua ratione deletarum urbium funditus *veſtigia* amplius quærit *Strabo*? Neque ſolum harum urbium nomina *Hannonis* nituntur *teſtimonio*, ſed *Eratosthenis*, & aliorum, ut vidimus. Quid autem magis verofimile eſt, inſenſiſſimos admodum *Carthaginenſibus* populos interioris *Africæ* & ad *Oceani* oram degentes *Phauruſios* & *Nigretas* has *Phœnicum* urbes *excidiſſe*, ex quo omnem *Carthaginenſium* potentiam viresque funditus a *Romanis* una cum ipſa urbe *Carthagine*, exacto tertio *Punico* bello deletas, inaudiverant, neque *Poeni* colonis ſuis auxilio ſuo adeſſe poterant. Circa hæc enim tempora hanc *Libycarum* contigiffe *depopulationem* urbium a *Pharufiis* probabilem in modum augurari licet. Memoratu dignum eſt, quod *DIODORVS* *SICVLVS* affert *teſtimonium*, L. XX. p. 791. quod *πλὴν λαὸς τῶν*


ἰχνησιν

ἐγχαριων ἀρχαιοτάτος, ὡν Λιβυς ὀνομαζέτο, ΜΙΣΩΝ διαφεροντως τες παρ-  
 χηδονικες δια το βαρος της ἐπισασιας. MAJOR pars incolarum, & VETV-  
 STISSIMA LIBYCORVM nomen habebat, (inter Africanos) EX-  
 TREMOQUE ODIS CARTHAGINENSIVM flagrabat, ob dominatus  
 asperitatem. Eorum autem pars erant Maurusii & Nigretes. DOD-  
 WELLVS vero ludere in re seria videtur, dum horum colonorum  
 Carthaginiensium excisioni, ut eam falsitatis arguat, objicit: *Et*  
*fane*, dicens, *si nulla harum urbium superfuerit vel memoria, quo-*  
*modo quæso poterat, de earum clade constare?* Dum Plinius dicit  
 earum non existare memoriam, minime gentium vult nihil de iis  
 in scriptis veterum reperiri. Qui enim, quæso, alias hæc ipsa  
 loca *Lixum, Cernen*, aliaque nominare potuisset, si nulla fuisset  
 earum ullibi locorum, gentium vel Scriptorum memoria? Sed id  
 sibi vult Plinius, ibi fuisse urbes, illarum suo tempore non extitisse  
 amplius inter *viventes memoriam*, quod verissimum erat, ex quo  
 dudum a *Phaurusis & Nigretibus* illarum regionum incolis, &  
 insens coloniarum Phoeniciarum hostibus excisæ, & deletæ  
 erant, ut nec vestigium amplius appareret. Iidem proinde *libri*,  
 qui ipsa loca memorarunt, ut *Eratoſthenis*, aliorumque, simul  
*cladis & internecionis* harum urbium fecere mentionem, & ad po-  
 steros propagavere. Plurimi doctorum Virorum, ut REINESIVS  
*Hist. L. Pun. cap. II. §. II & DODWELLVS §. IO.* num recte, ego  
 quidem dubito, ex ATHENAEI L. III. *Deipn. c. 3.* volunt hinc  
 proverbium extitisse, *Λιβυκοι βιβλοι & ανωνος πλαναι* *Africani libri*  
 & *Hannonis itinera*, de rebus fictis nec fidemmerentibus, quod  
 harum relatione rerum, quas *Poeni Afri* iis contineri dicebant,  
 sibi a *Carthaginensibus* impositum esse rati. Cæterum loca de  
 ψευσμασι Φοινικων, ut proverbio pervulgato, eorumque *fallacia &*

*Punica fide*, quæ produxere ex Veteribus REINESIVS, DODWELLVS, CASAVBONVS ad *Athen. l.c.* ea me iudice, potius ad Phoenicum *fallaciam & mendacia*, vel in rebus communis *vite*, vel belli stratagematibus, (conf. FLORVS II. 6. 13) & maxime in rebus *negotiorum & mercatura*, referenda sunt, quam ad eorum *traditiones* de longinquis navigationibus, ut viris cæteroquin doctissimis visum fuit. Admodum enim erant *fraudentia*, & *mendaciis* aliisque negotiantium vitis *infames Phoenicii*, quæ Prophetæ est querimonia HOS. XII. 8. quem locum docte excussit MASSONIVS T. VIII. *Histor. Crit.* p. 299. sq. Conf. NOVA ACERRA PHILOL. T. I. p. 234. & alii de Phoenicum perfidia.

§. 4.

Redeo ex longissimo itinere domum, & ad scripti in limine indicati scopum, orationem scilicet invitoriam ad pium sacrae Coenæ a benignissimo Salvatore nostro in perpetuam sui memoriam institutæ esum usumque ab Illustribus Gymnasii Civibus celebrandum, cum ardentissimo oratoris voto, ut omnes salutarium inque pios redundantium *Ascensionis J. Christi in Coelum* effectuum participes reddantur. Nullus itaque dubito, quin Vos Viri ILLUSTRÉS, MAGNIFICI atque AMPLISSIMI REIPVBL. PATRIÆ PROCERES, omnium ordinum CLARISSIMI DOCTORES, PROFESSORES, & V. D. SYMMISTAE, omnesque honoratiores, præcellentes & spectatissimi Viri, item *Tu, Nobilissima studiis dicata Cohors*, Oratorem nostrum, Juvenem eruditum honorifica vestra decorare præsentia benevole velitis. Dabam Dominica Festi Trinitatis, A. cLo cccLXVI.



①

ULB Halle

3/1

000 784 419



